



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

x. De Homicidio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

ei, tamdiu excommunicationi subijcientur, quamdiu competenter satisfecerint. In vtrisque tamē malitia grauius, quam ne gligentia punietur: quod & de his, qui falsas literas impetrāt, obseruabitur.

DE HOMICIDIO,  
TITVLVS X.

*Assasinium, sicuti omnium homicidiorum est atrocissimum, ita etiam atrocissime puni- tur h. d.*

**C**um non ad opera tantum sit respiciendum, sed tempus, causa, voluntas, personarum differentia, & omnia quae operibus accidunt, sint peruestiganda, sequitur, ut non sit omnium homicidiorum eadem conditio. Cunctorum verò illud atrocissimum videtur, quod *Assasinium* vulgò nuncupant. Unde non solum assasini ipsi, sed etiam receptatores, occultatores, consultores & defensores eorum, & qui per eosdem quæquam interfici fecerit, aut mandauerit, dignitatibus, honoribus, officijs, beneficijs, omnibusq; bonis nudatus, excommunicationis & depositionis incurret ipso iure sententiam, & tanquam Christianæ religionis hostis à toto Christiano populo perpetuò diffidatus erit.

*Interficiens per industriam similis est Assa- sino. h. d.*

Non absimilis eum tenet pœ-

na, qui licet nõ per assasinium, per insidias tamen & industria hominem interfecerit.

*Interficiens latronem nõ ex necessitate, puni- tur: secus, si ex necessitate. h. d.*

Quòd si quis latronem, vel furem peremerit, videamus, an sit puniendus: & si quidem furem absque occisione comprehendere potuit, certa aduersus eum statuta pœnitentia reperitur: quod si non potuit, nulla occisori erit ex necessitate iniungenda pœna.

*Non punitur homicidium fortuitum, si nulla culpa casum præcessit. h. d.*

Idem etiam obtinebit, si casu perpetratum fuerit homicidium, utputa, si quis necessario insistens operi, arborem inciderit, & aliquis subtus transiens opprimatur: nam si neque voluntate, nec vlla incidentis culpa factum fuerit, ut pertransiens opprimeretur, arborem incidens homicidij pœnis obnoxius nõ erit.

*Pœnitentiã certorum annorum est iniungē- da parentibus opprimentibus filios. h. d.*

Alia ratio est eorum, qui proprios filios oppressisse reperiuntur. Cum enim hos grauius deliquisse non sit dubium, certorum annorum erit illis iniungēda pœnitentia.

*Filius à patre, vel ab alio, patre sciente, ex- positus, liberatur à patria potestate: & expo- situm suscipiens nullum in eo habet ius. h. d.*

cap. 2. extr.  
cod. tit.

d. can. sæpè  
cõtingit. 50  
distin.

cap. si. extr.  
de his quã fi-  
li. distraxe.

cap. 1. eod.  
tit. in 6.

b. cap. 1. extr.  
eod. tit.

<sup>a</sup> *cap. uni. e-  
xtra. de in-  
fa n. langu-  
& expositi.* Quod si filius à patre, vel ab alio, patre sciente, fuerit expositus, aut eidem alimenta denegata fuerint, hoc ipso à potestate patria liberabitur. Nec tamè propterea, qui expositos suscepit, aliquod in eis ius vindicare poterit.

*Impediens conceptionem, uel abortu procu-  
rans, puniatur ut homicida: secus, si id casu fieri  
contingat. h. d.*

<sup>b</sup> *cap. si ali-  
quis. ext. co-  
dem tit.* Is quoque, qui vel causa ex-  
plendæ libidinis, vel odij medi-  
tatione viro aut mulieri aliqd  
fecerit, vel potandum dederit,  
quo minùs possit generare, vel  
concipere, vel nasci soboles, vt  
homicida puniendus erit. Quan-  
quam aliàs, si conceptus non-  
dum viuificatus fuerit, nec vt  
abigeretur, quisquam dolo ma-  
lo fecerit, qui abortui<sup>c</sup> occasio-  
nem tradidit, puniendus non  
erit.

<sup>c</sup> *cap. sicut ex  
literarū. ex-  
tra. co.*

*Qui sibi mortem inferunt, habentur simili-  
les illis qui impænitentes moriuntur. h. d.*

Novissimè sciendum est pro  
his, qui quocunque prætextu  
voluntariè ferro, vel veneno,  
vel suspendio, vel quolibet mo-  
do sibi mortem inferunt, nul-  
lam in oblatione faciendam esse  
commemorationem, & eccle-  
siastica eos debere carere sepul-  
tura, non aliter atque illos,  
qui pro suis sceleribus  
impænitentes  
moriun-  
tur.

## DE INIURIIS, ET damno dato,

### TITVLVS XI.

*Inferens iniuriam & damnum, debet dam-  
non passo satisfacere, nec illum excusat igno-  
rantia. h. d.*

<sup>d</sup> *cap. i. ext.  
cod. tit.* **M**itius cum his agitur, qui  
in pugna, vel rixa aliqùe  
lapide, vel pugno percus-  
ferint. Si enim ille mortuus nõ  
fuerit, sed in lecto iacuerit, vel  
operas exercere fuerit impedi-  
tus, qui percusserit, & opera e-  
ius, & impensas immodicas re-  
stituet. Et generaliter, si culpa  
tua datum est damnum, vel in-  
iuria irrogata, vel alijs irrogan-  
tibus opem tulisti, aut hæc im-  
peritia tua, siue negligentia eue-  
nerunt, iure te super his satisfa-  
cere oportebit: nec te excusabit  
ignorantia, si scire debuisti ex  
facto tuo iniuriam verisimiliter  
posse contingere, vel iacturam.

*Si tuum animal damnum dabit, potes libe-  
rari illud dedendo, nisi sit ferum animal & no-  
cere solitum, & non fuerit adhibita debita di-  
ligentia. h. d.*

<sup>f</sup> *cap. fin. 5.  
quod. ext.  
cod. tit.* Quod si animalia tua nocu-  
isse proponantur, nihilo minùs  
ad satisfactionem teneberis, ni-  
si ea pro noxa dando damnum  
pasis, te ipsum velis liberari:  
quod tamè ad liberationem nõ  
sufficit, si fera fuissent animalia,  
& quæ nocere consueuerant, &  
quam debueras, diligentiam non  
adhibuisti. Diuersum statuitur  
in